



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **BULAUAIENSIS** NOVA PROVINCIA
ECCLESIASTICA IN ZIMBABUANA
CIVITATE CONDITUR BULAUAIENSIS COGNOMINANDA

Ipsa bene iuvante Domino, diversis de causis est laetandum quod catholica res ubique terrarum felix capit incrementum et uberes fructus fundit. Nos autem pro virili parte contendimus ut ecclesiastica instituta propitiis condicionibus concinantur. Nunc autem ad Zimbabuanas communitates animum mentemque Nostram convertimus utpote cum earundem occurrere necessitatibus commodisque velimus. Itaque de consilio Congregationis pro Gentium Evangelizatione, rogatis sententiam iis quorum interest, Apostolica Nostra usi potestate, quae sequuntur statuimus et decernimus. Novam Provinciam ecclesiasticam in Zimbabwe condimus scilicet Bulauaiensem, quam ad gradum archidioecesis metropolitanae attollimus, cui videlicet veluti suffraganeae nectantur et subiciantur dioeceses Gueruensis et Huangensis. Porro Venerabilem Fratrem Henricum Karlen, adhuc Episcopum Bulauaiensem ad dignitatem statumque Archiepiscopi Metropolitanae evehimus, omnibus iuribus officiisque congruentibus concessis secundum iuris canonici praescripta. Haec omnia ut expediantur, Venerabilem Fratrem Petrum Paulum Prabhu, Archiepiscopum titulo Titulanum in Numidia et in Zimbabwe Apostolicum Nuntium, legamus eique haec officia praestanda committimus. Re tandem ad exitum perducta, documenta apparentur, quorum exempla sincera ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione mittantur, contrariis rebus minime quibusvis obstantibus.

*Datum Ronlae, apud Sanctum Petrum, die decimo mensis Iunii, anno Domini millesimo
nogentesimo nonagesimo quarto, Pontificatus Nostri sexto decimo.*

ANGELUS card. SODANO <i>Secretarius Status</i>	IOSEPHUS card. TOMKO <i>Congr. pro gentium Evang. Praef.</i>
---	---

*A.A.S., vol. LXXXVI (1994), n. 10, pp. 785-786

© Copyright 1994 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana